



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 455. An & qualiter finiatur privilegium per mortem privilegiati & concedentis privilegium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

sunt. Atque ita delinquens ante hanc sententiam non tenetur abstinere ab usu privilegii. Suar. l. c. num. 8. Bonac. d. 1. c. 3. p. 8. §. ult. num. 1. Castrop. l. c. num. 3.

*Quaest. 455. An & qualiter finiatur Privilegium per mortem privilegiati & concedentis Privilegium?*

1. **R**esp. Primò: Privilegium personale unà cum persona, cui concessum, finitur, quia personæ adhæret, & non transit ad hæredes aut Successores illius. *L. privilegium. de Reg. Juris in 6. L. in omnibus. & L. privilegia. ff. eod.* Privilegium reale, concessum nimirum ratione dignitatis, officii, loci aut rei, deficiente personâ per mortem vel amotionem à dignitate, vel officio, vel re amissâ non deficit, sed ad Successores in dignitate & officio (non verò ad administrantes idem officium vacans. Laym. in c. quoniam. de Offic. Jud. delegati) transit. Azor. p. 1. l. 5. c. 22. q. 6. quia, quæ ratione dignitatis conceduntur, mutata personâ non mutantur, c. si gratiosè. de rescript. in 6.

2. **R**esp. Secundò: Privilegium semel absolute & sine limitatione concessum & acceptatum non amittitur morte concedentis. Arg. c. si cui. de prob. in c. e. si super. de off. deleg. in 6. quia privilegium est quædam liberalis donatio, quæ semel facta, non expirat per mortem donantis, & sic etiam precarium, quamvis ex mera liberalitate dantis proficiatur, huius morte secutâ pergit durare. Lauterb. ad ff. de precario. Idque procedit non tantum in privilegio merè favorabili, sed & in odioso, per quod derogatur juri communi, vel præjudicatur juri alterius privati, quia jura loquuntur absolute de gratia, & privilegium etiam odiosum est vera gratia respectu ejus, cui conceditur. Item extenditur, ita ut non tantum sit locus non-expirationi, si res non sit integra, sed etiam si sit adhuc integra, id est, si privilegiatus necdum caperit uti privilegio, cum neque talis limitatio addatur in citatis juribus, & gratia non sint restringendæ. Suar. l. c. c. 31. num. 2. Pirh. h. e. num. 171. cujus contrarium est in rescriptis justitiæ seu ad lites, in quibus delegatur jurisdictio contentiosa fori externi, quæ expirat morte delegantis, si res sit adhuc integra. c. relatum. c. gratium. c. licet. de Off. Jud. deleg. limitandum tamen hoc ipsum ad privilegium aliamque gratiam jam factam, & non extendendum ad faciendam per executores, hæc enim re adhuc integrâ expirat morte concedentis. Gl. communiter recepta in cit. c. si cui. de prob. in 6. Dicitur autem gratia facta, quando directè concessa alicui in proprium favorem ipsius, etsi mera executio ab alia persona dependeat. Suar. l. c. num. 18. & 19. faciendâ verò, dum nihil directè concessum ei, in cujus favorem tendit, sed delegato v. g. Episcopo vel confessori directè mandatam, ut talem gratiam concedat, v. g. causâ cognitâ, dispense, ita Pirh. l. c. cum Suar. l. c. & Laym. cit. c. 22. n. 48. Item limitanda hæc ad casum, in quo Princeps concessit privilegium dicendo: *Ad beneplacitum nostrum*. Arg. *L. locatio. ff. locati*. cum talia verba significant perseverantiam ejusdem voluntatis, quæ cum vita concedentis finitur. Suar. l. c. c. 32. n. 2. Pirh. num. 172. quamvis addat, citans pro hoc Gail. l. 2. obs. 60. num. 16. moderno usu observari privilegia etiam concessa à Principe sub hac forma: *ad beneplacitum nostrum*: Morte concedentis non expirare, ex ea ratione, quòd non prohibeamur stare ei, quod expressè non mutatur, uti

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. V.

dicta voluntas concedentis non mutatur morte, etsi extinguatur, quod à potiore procedere videretur, dum Princeps concessit privilegium dicendo: *donec revocavero*: quorum aliam rationem reddi non posse ait Laym. in cit. c. gratiosè. quàm quòd per verba hæc: *Concedimus ad beneplacitum nostrum* (quod idem dicendum videretur de verbis: *donec revocavero*) Princeps solum intendat cavere & admonere, privilegium non transire in contractum seu pactum, & per talem concessionem nullam sibi vel Successoribus suis obligationem imponi, sed liberè revocari posse.

*Quaest. 456. Qualiter percunte re, cui Privilegium annexum, pereat Privilegium?*

**R**esp. Privilegium reale seu locale v. g. concessum religioni, collegio, dignitati, officio, iis penitus suppressis seu extinctis perit, uti & concessum loco, puta ecclesiæ, monasterio, castro, civitati, fundo, quibus tanquam subjecto citra respectum ad personas, eorum possessores aut inquilinos inhæret, destructis sine spe reparationis aut reedificationis expirant. Arg. *Reg. accessorium. de reg. Jur. in 6. Gl. in reg. privilegium eodem. v. personale*. Innoc. in c. cum ex injuncto. de novi oper. nunc. quod limitant Reiffenst. num. 172. & alii, ut procedat, si autoritate Superioris, habentis ad hoc autoritatem, destruat sine spe reedificationis, fecus est, seu pergit inhæreere fundo non fecus ac consecratio loci sacri adhæret pavimento. *L. de Sacra. ff. de contrab. empt.* ubi spes est reedificationis, c. pastoralis. 7. q. 1. Idem est, si ecclesia aut monasterium ideo destruat, ut alio commodiore loco ædificetur, tunc enim retinet privilegia prius habita, cum ecclesia alibi reedificata censeatur eadem cum destructa, quippe comparatur personæ, quæ concessa sibi privilegia secum defert, sic etiam, ubi privilegia concessa non ratione situs, sed ratione alterius tituli transcribilibus, v. g. ratione confraternitatis vel reliquiarum alicujus Sancti ibi depositarum, tunc enim his translatis aliò, etiam privilegia transferuntur aliò, & ita tenent Felin. in c. cum dilecta. de rescript. n. 25. Azor. p. 1. l. 5. c. 22. q. 11. Suar. de LL. l. 6. c. 5. à num. 5. quos citat & sequitur Wiestn. h. e. num. 41. Item cum monasterium privilegiatum humiliter desolatum unitur alteri monasterio, unitur enim tunc cum omnibus rebus & juribus & actionibus, quæ competunt ei. Arg. c. quia monasterium. de relig. domib. & consequenter cum omnibus privilegiis suis, quibus dein alter Abbas Monasterii, cui unitur, uti potest per habitudinem ad monasterium destructum, Reiffenst. num. 175.

*Quaest. 457. An & qualiter Privilegium amittatur per revocationem?*

1. **R**esp. Primò: Privilegium consistens in facultate & licentia delegata ad usum aliquem contra vel præter legem communem concessum subdito potest validè, etiam sine causa revocari à concedente illud ejusque Successore pro libitu. Abb. in c. novit. de Judic. num. 23. Felin. ibid. num. 8. Sanch. l. 8. de dispens. l. 8. c. 13. num. 1. Suar. l. c. c. 37. num. 10. Salaf. d. 17. S. 14. num. 70. Bonac. d. 1. q. 3. p. 8. §. 3. num. 1. Pont. l. 8. de mat. c. 19. num. 11. Castrop. iv. 3. d. 4. p. 21. §. 1. num. 1. Pirh. h. e. num. 86. cum communi, quia talis privilegii concessio est quasi quædam delegatio, quæ à delegante revocari potest. Dicitur primò: